

subseqvente divina gratia niti animis debet ad veniam, et remedia semper inquirere, quibus irruentes occasiones mortis valeat declinare. Cum igitur Sancte recordationis W. novum Domini Confessorem in Ecclesia Sancti Thome de paraclito, cuius Abbas fuerat quiescentem nobis, et fratribus nostris de ipsius vite beatitudine, ac miraculorum insigniis facta fide de ipsorum fratribus consilio, et multorum Prelatorum apud Sedem Apostolicam consistentium canonizandum duxerimus, et Sanctorum Cathalogo ascribendum, ut vobis illius, et aliorum Sanctorum sit patrocinium oportunum. Vniversitatem vestram monemus, et hortamur attente, quatenus interveniente Confessore predicto per quem leprosi mundantur, sanantur egroti, liberantur demoniaci, aperiuntur lingue mutorum, quidam sunt mortui suscitati propitium habere Deum qui tot et tanta per ipsum dignatur operari possitis devote ad eandem Ecclesiam ipsius Confessoris imploraturi subsidium accedatis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus devote pro eiusdem reverentia Confessoris a die Sollempnitatis sue usque ad octavum ipsius ad dictam Ecclesiam accendentibus quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani IIII. Kalend. Febr. Anno Octavo.

225.

1224 d. 10 Febr.

Lateran.

Påfv. HONORIUS III:s befallning till Biskopen i Skara och Ärke-Biskopen i Lund att enligt det skedda valet insätta Bisk. OLOF från Strengnäs till Ärke-Biskop i Upsala.

K. c 174.

*Honorius Papa Tertius Episcopo Scarensi Et . . Electo Lundensi.*

Intelleximus quod Vpsalensi Ecclesia dudum viduata pastore Clerus & Populus Vbsalensis prædicta Ecclesia Capitulum non habente sibi Venerabilem Fratrem nostrum . . Stragensem Episcopum in executione Pontificalis officij vt dicitur approbatum, cui de vita & moribus laudabile testimonium perhibetur, in Archiepiscopum vnanimiter & concorditer postularunt. Supplicantibus ergo nobis Charissimo in Christo filio nostro . . Illustri Rege Sueciæ, & vniuersis eiusdem Ecclesiæ Suffraganeis, ac Clero etiam Vbsalensi vt cum Vbsalensis Metro-polis propter indomitæ consistentis in ea gentis induriciam talis sollicitudine pa-toris indigeat, qui vinum infundendo & oleum mederi nouerit sauciatis, ad quod satis idoneum prædictum Episcopum asseuerant, postulationi huius-modi assensum beneuolum ex causa tam necessaria præberemus. Nos igitur iuris super hoc rigorem prouidentia temperantes, discretioni vestræ per Aposto-lica scripta mandamus, quatenns si vobis constiterit de præmissis, eundem

Episcopum præficiatis auctoritate nostra Vbsalensi Ecclesiæ in Pastorem, absoluentes ipsum a vinculo, quo Strangensi tenebatur Ecclesiæ, ac transeundi ad prædictam Ecclesiam Vpsalensem tribuatis. Datum Laterani quarto Idus Februarij, anno octauo.

226.

1224 d. 15 Febr.

Lateran.

Pâfv. HONORIUS III. till förre Ärke-Bisk. i Lund, ANDREAS SUNESSON, att för mindre brott kunna aflösa sitt eget husfolk samt åboarne på de till hans underhåll anslagna Domkyrkohemmanen.

F. 1: 80. An. 8. Ep. 267.

*Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri A. quoniam Lundensi Archiepiscopo, Salutem &c.*

Merita tue probitatis et honestatis exposcunt, ut in quibus salva conscientia possumus favorem tibi apostolicum impendamus. Hinc est quod precibus tuis benignum impertientes assensum absolvendi eos qui sunt de tua speciali familia, et qui fundos Lundensis Ecclesie pro tua provisione tibi assignatos inhabitant si forte aliquando inciderint in canonem sententie promulgate dummodo eorum excessus non sit difficilis, et enormis et conferendis personis idoneis beneficia in dictis fundis consistentia cum vacabunt, tibi auctoritate presentium concedimus potestatem. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Si quis &c. Datum Laterani XV. Kalend. Martij Anno Octavo.

227.

1224 d. 20 Febr.

Lateran.

Pâfv. HONORIUS III. till Konung ERIC ERICSON, Sveriges Jarl och förnämste män om de Andeliga frihet från allmänna utskylder.

F. 1: 82. An. 8. Ep. 307.

*Literæ apostolicæ Honorii ad Regem ac Duces et Principes Svetiæ pro Ecclesiastica immunitate, ac contra usurpatores bonorum Ecclesiarum.*

*Honorius &c. Carissimo in Christo filio . . . Illustri Regi Svetie Salutem &c.*

Remittere consueverunt Reges Catholici Ecclesiis, et Clericis obtentu divine pietatis angarias, et eos a Secularibus exactionibus liberare. Vnde nec tuo conveniret honori, nec saluti etiam expediret, ut a Catholicorum Regum tramite, quorum te decet sequi vestigia devians Clericos aggravares an-